



ALVE Magister Raimunde.

RAI. Bene veneris. Dic mihi, qui nam es, & quorsum venis?

DIS. Tuæ sapientiæ fama, & operaq; tua præferunt te omnium scientiarum cognitione præditum esse: quandoquidem verò innatus sit omnibus hominibus appetitus, & potissimum senibus, ut diutius vivant: ideo licet annorum gravis, ex Longobardia discessi, & hæc Majoricam in Insulam veni ad te, solummodò ut ex te remedium addiscam, quo etiam annos aliquot citra morbum me contra mortem tueri possim.

RAI. An nescis Deum vitæ nostræ terminum posuisse, quem præterire haud liceat.

DIS. Non peto auxilium ultra terminum illum à creatore nobis impositum; sed contra multas infirmitates & debilitationem radicalis humidi & innati caloris: Nam & antiqui Patres, qui plus annis quingentis vitam protrahebant, aliquam possidebant medicinam, qua diu sine aliqua infirmitate ipsorum vitam sustentabant.

RAI. Primi Patres ita vivebant; quia sic erat Dei optimi voluntas, ut ex longa illa hominum vita citò humanum genus multiplicaretur.

DIS. Cur ergo non omnes tandiu vivebant?

RAI. Plus vivebant qui primis parentibus proximiores erant, eo quòd primi à Deo immediate creati